

## Peter of Trabibus, Commentary on the Sentences (Florence, Bibl. Naz. D. 6. 359)

Transcribed by Tuomas Vaura<sup>1</sup>

### Abbreviations

add.	addidit
del.	delevit
fol.	folium
marg.	marginē
om.	omittit
[...]	additio
<...>	additio editoris
(?)	lectura incerta

### Liber 2, distinctio 38, circa 1, quaestio 3. (fol. 41vb)

#### Utrum voluntas possit se movere contra iudicium rationis?

Tertio quaeritur, utrum voluntas possit se movere contra iudicium rationis? Et videtur quod non, quia secundum Philosophum, *II Physicorum*<sup>2</sup> et *VII Ethicorum*,<sup>3</sup> ita se habet principium in speculativis sicut finis in operativis. Sed intellectus numquam potest dissentire <42ra> conclusionum connexae principio, ergo nec voluntas.

Item, Anselmus, *De veritate capitulum XII*,<sup>4</sup> omnis voluntas habet quid et cur. Sed si per intellectum praesentarentur aliqua duo aequaliter eligibilia, non haberet cur unum eligeret plus quam aliud. Ergo non potest se determinare ad unum, alio dimisso. Sed si hoc non potest, minus poterit eligere contra eligibilitatem per intellectum iudicatam.

Item, *VII Ethicorum*,<sup>5</sup> cum una fit ratio ex ipsis, hoc est ex maiore et minore, necessarium conclusum.

---

<sup>1</sup> The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747. I would like to thank Annemieke Verboon, who has helped me to improve the transcription. The line division of the transcription follows the line division of the manuscript.

The transcription may be cited as follows:

Peter of Trabibus, *Lectura* lib. 2, d. 38, c. 1, q. 3, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

<sup>2</sup> Aristoteles, *Physica* II.9, 200a-200b.

<sup>3</sup> Aristoteles, *Ethicorum* VII.8, 1151a.

<sup>4</sup> Anselmus Cantuariensis, *De veritate* lib. 1, cap. 12.

<sup>5</sup> Aristoteles, *Ethicorum* VII.5, 1147a.

Item, *III Ethicorum*,<sup>6</sup> ignorat omnis malus, quae oportet operari, et a quibus fugiendum, et propter tale peccatum iniusti et universaliter mali fiunt.

Item, si potest velle minus<sup>7</sup> bonum iudicatum ab intellectu, ergo potest velle malum. Probatio consequentiae, dicit Augustinus et etiam Philosophus, quod minus bonum in comparatione maioris boni malum est.

### **Contra,**

si voluntas non potest se movere contra iudicium rationis, plus valeret ad virtutem scire quam velle, sed hoc est falsum, ergo etc. Probatio maioris et minoris, quia prima causa plus influit quam secunda, intellectus autem est huius. Probatio minoris, *II Ethicorum capitulum IV*,<sup>8</sup> ad virtutes parum aut nihil potest scire, alia autem, scilicet eligere et firmiter et immobiliter operari, non parum.

Item, si voluntas non potest hoc per se, nisi per iudicium intellectus, tunc quando quis scit in universali et in particulari, non est movendus facere illud, quia necesse est illud facere. Sed talis sic existimans est exterminandus de populo secundum Augustinum, *III De libero arbitrio*.<sup>9</sup>

**Respondeo**, dicendum, quod aliqui dicunt, quod cum voluntas sit indifferens ad unumquodque eligibile, nisi determinet ei intellectus, non potest se movere praeter iudicium intellectus, et multo minus contra.

Sed contra hanc positionem satis potest argui, quia si ita est, aequaliter movetur tunc ad finem et ad ea quae sunt ad finem. Sed hoc est falsum, cum nullo modo possit nolle finem vel eius oppositum velle, sed ea, quae sunt ad finem, potest velle et nolle.

### Alii

dicunt, quod antequam voluntas determinetur per intellectum, potest velle hoc vel eius contrarium de hiis, quae sunt ad finem, praesupposita tamen simplici apprehensione. Sed postquam per intellectum est iudicatum quid sit magis eligendum, non potest aliter eligere, durante tali iudicio et conformante maior et minor, sicut dictum est in arguendo. Unde bene volunt, quod possit se determinare praeter iudicium intellectus, sed non contra.

Sed contra istam positionem potest sic argui. Voluntas est non minus libera post iudicium intellectus, quam esset prius. Sed prius libera erat, ut posset eligere hoc et eius oppositum, ut dicit haec positio. Ergo sic est postea. Probatio maioris, quia actus eligendi non est a voluntate respectu cuiuslibet eligibilis, sed solum respectu praeconsiliati,

---

<sup>6</sup> Aristoteles, *Ethicorum* III.2, 1110b.

<sup>7</sup> Scripsit sed del. *malum*

<sup>8</sup> Aristoteles, *Ethicorum* II.3, 1105b.

<sup>9</sup> Augustinus, *De libero arbitrio* lib. 3, cap. 1.

sicut patet per Philosophum, *III Ethicorum V*,<sup>10</sup> voluntarium non omne eligibile, sed praeconsiliatur.<sup>11</sup>

Alii dicunt, quod intellectus se habet ad voluntatem sicut consiliarius ad dominum. Sed dominus potest contra consilium sui consilarii imperare et facere, sicut patet per rationes factas ad hanc partem, et per exemplum Augustinus, *XII De civitate VI*,<sup>12</sup> quod si duo homines per omnia affecti aequaliter, unum potest impudice appetere occurrentem pulchritudinem et alius voluntate pudica se continere.

**Ad primum argumentum**, dicendum, quod similitudo non currit quatuor pedibus, quia praeter hoc, quod voluntas est libera et non intellectus, est ibi aliud. Quoniam conclusio est pars syllogismi, sicut haec 'omnis homo est animal', si ista concessa est, est concessa ista quod 'tu sis animalis', quia res per conclusionem significata erat in maiore, non potest negari sine contradictione.

Non est autem sic de fine, quia licet coadiuvent ea, quae sunt ad finem, non tamen includuntur in fine sicut partes illius. Et ideo posito fine, non propter hoc ponuntur ea, quae sunt ad finem. Et ideo potest velle illum et illa respuere bene, enim potest separari unum ab alio, quando non est de essentia eius, licet ad illud communiter consequatur.

**Ad secundum**, dicendum, quod verbum Anselmi debet intelligi, quod voluntas bene habet semper quid et cur in generali vel in speciali, sed non  
<42rb>  
propter hoc oportet ultra procedere. Exemplum, offeruntur mihi duo ova aequalia. Eligo unum, quod est quid. Et est ibi cur, quia ut prosit mihi, sed non est ibi cur magis hoc quam aliud.

**Ad tertium**, dicendum, quod verbum Philosophi oportet sane intelligi, si est verum, quia forte bene est verum de conclusione immediata, et non de aliis.

**Ad quartum**, dicendum, quod illud verbum intelligitur de ignorantia causata a voluntate, sicut patet per sequentia ibidem.

**Ad quintam**, dicendum, quod voluntas non potest eligere aliquid sub ista ratione minus boni, quia vellet malum, ut probat argumentum, sed eligit ut praesentatur sibi ut bonum.

---

<sup>10</sup> Aristoteles, *Ethicorum* III.4, 1112a.

<sup>11</sup> Add in marg. *Item est contra articulum ?? argumentum 3.*

<sup>12</sup> Augustinus, *De civitate Dei* lib. 12, cap. 6.